

3  
e Quia in-  
telligit esse  
in subiecto  
no ut pars.

Sed circa hanc definitionem pauca mihi dicenda sunt. e Primo si de mente auctoris agitur; cum dicit Aristotel. *Et non ut pars*; intelligit, & non ut pars subiecti in quo est; non autem intelligit & non ut pars alicuius tertij nimirum compositi: contra quam velint Conimbr. ibi; & ratio est quia cap. 5. textu 5. dicit substantiarum partes esse in toto non tanquam in subiecto, quia sunt eius partes: igitur (quia locus vnus alium bene explicat) ex ea definitione, aliquid erit in alio tanquam in subiecto, si ita sit in illo, vt nihilominus non sit eius pars; quamvis sit pars totius ex vtroque compositi: quemadmodum color est in corpore tanquam in subiecto, quia non est eius corporis pars; licet sit pars colorati, quod ex colore tanquam forma, & ex corpore tanquam subiecto componitur.

4  
f Idem ex  
eodem Ari-  
stotele ma-  
gis confir-  
matur.

Secundo f ea sunt in subiecto non tanquam pars, quæ dicuntur de subiecto non secundum rationem sed secundum solum nomen, seu secundum solum denominationem: iuxta eundem textum 5, vbi sic dicitur. *Eorum quæ in subiecto sunt, nomen quidem de subiecto prædicari interdum nihil prohibet; rationem vero est impossibile.* &c. v.g. color non prædicatur de subiecto nempe corpore secundum rationem; quia non potest dici corpus est color, sicut dici potest homo est animal: sed solum prædicatur secundum nomen; quatenus dicitur corpus est coloratum.

g Si eo ser-  
uato Aristo-  
telico bona  
est accidentis  
aristotelica  
definitio,  
omnes cor-  
poris forma  
quæ ponit  
schola peri-  
patetica e-  
runt acci-  
dentia.

Tertio, quod ex his sequitur. g Si hæc definitio accidentis est legitima, formæ substantiales corporeæ erunt accidentia quia sunt in subiecto, nempe in materia, & non vt partes eius; & dicuntur de ea non secundum rationem; sed secundum nomen solum; & seorsim à materia esse nequeunt. Vt anima equi est in corpore equi, sed non vt pars eius corporis; & de eo non prædicatur secundum rationem, quia dici nequit corpus est anima; sed secundum solum nomen; quatenus dici potest corpus est animatum, vñtata & receptissima denominatione; & in super seorsim ab equi corpore esse nequit ex communi sensu scholæ Aristotelicæ, saltem naturaliter. Hæc obiecto diligenter attende, & perspicies bene inuicem quadrare: illis vero inferius vtar cap. 9.

5  
h Itē vera  
inhærentia  
conuenit  
prædicamē-  
tis habere,  
& quando,  
& aliis.

Interim addo quarto, h si hæc definitio ad litteram, & in rigore (vt decet in omni legitima definitione) intelligenda est de omni eo, quod ex mente Aristotelis continetur sub secundo vniuersali entis membro, quod videlicet ille cap. 4. opposuit substantiæ; ita vt illi omni (iuxta supradictum accidentis conceptum) conueniat vera & à parte rei (non autem solum in conceptu aut prædicatione) inhærentia: consequenter ipsum *Habere*, nempe vt ille ibi ait calceatum esse, armatum esse, seu calcei & arma; vere ac physice inhærebunt illi subiecto de quo ita prædicantur, vt tantum secundum nomen dicantur; cum non sint eius partes: item sine illo subiecto calcei & arma esse non poterunt. At nemo sane id hæcenus cogitauit. Similiter sequeretur tempus, locum, situm, relationem esse quid vere ac physice inhærens; contra multorum & valde communem sententiam, quam Deo fauente spero me inferius bene confirmaturum; similiterque de actione & passione.

6  
i Igitur ex  
vi eius de-  
finitionis  
no sequitur  
vt id omne  
quod vulgo  
in scholis  
vocatur acci-  
dētis, sit ta-  
le ens quale  
existima-  
tur.  
k Igitur ne-  
quo de vno  
aut altero  
accidētē id  
ex ea defi-  
nitione in-  
ferri potest.

Igitur i ex vi huius definitionis non potest vniuersaliter colligi, illud omne quod sub nomine accidentis intelligitur, esse tale ens, ac taliter in suo naturali essendi modo oppositum substantiæ, seu subiecto in quo esse dicitur; vt & reuera inhæreat physice, & seorsim ab illo subiecto esse nequeat etiam naturaliter, vt calcei, arma, &c. Imo neque colligi potest illud esse reuera aliquod ens distinctum ante opus mentis ab illo suo subiecto, vt relatio, duratio, &c. k Quia vero definitio si non concludit vniuersaliter de omni suo definito; nihil certi vi sui præcise concludit de particulari aliquo suo definito; quandoquidem definitio si legitima est, est necessario principium vniuersale in ordine suorum definitorum: consequenter vi huius definitionis præcise concludi non potest quantitatem & qualitatem (quæ duo supersunt prædicamenta) esse reuera tale ens quod physice in subiecto sit inhærens, cum reali sui ab illo distinctione: aut (si reuera ab eo distinguitur) inhæreat etiam reuera illi, & extra idem esse nequeat. Id, inquam, ex ea definitione certo concludi nequit; tum quia idem pariter concluderetur de aliquo ente quod non venit nomine accidentis puta de forma substantiali equi, & similibus, vt ostensum est; & ita non de solo accidente id concluderetur: tum quia neque de omni ente, quod venit nomine accidentis, id verum est, vt iam dicebam.

7  
l Imo quæ-  
vis ea defi-  
nitio cōpre-  
hēderet so-  
lā quantita-  
tem & qua-  
litatem, ta-  
men neque  
de his id in-  
ferri posset.

Et l quamvis esset ille reuera sensus definitionis propositæ, vt substantialibus corporeis formis non accommodaretur; neque tempus, locumque, relationem, &c. vt dictum est, comprehenderet; sed solis proprie conueniret quantitati & qualitati: adhuc ex vi eius definitionis non concluderetur quantitatem, nempe omnem quantitatem, ita esse in subiecto, quod dicitur quantum; vt reuera sit ens ab eo physice distinctum, ipsique inhærens; nam euidenter quantitas discreta non est tale quid, imo nec tempus, quod ad continuum reducitur. Item non concluderetur qualitatem, nempe omnem qualitatem, esse ens ita inhærens subiecto quod per illam dicitur quale; vt vel sit realiter quid ab eo distinctum, vel posito quod ita distinguatur, non possit esse naturaliter seorsim ab eodem subiecto: nam & figura (quæ est quarta species qualitatis) non distinguitur physice ab eo cuius est figura; item intellectus, qui